



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Quaestio III. Vtrum Deus subjectum attributionis Theologiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

quod subiectum sine causa sui; ergo etiam demonstratio non debet tendere in causam illius, sed sufficit quod explicentur in tali scientia principia complexa universalis comprehensiva omnium subiectorum, quæ principia etiam dantur in methaphysica, & verificantur etiam respectu Dei, unde ad scientiam sufficiunt principia cognitionis, & non est necesse demonstrare principia, seu causas rei, ut respectu Dei patet evidenter; nam omnes demonstrationes Dei, vel sunt à posteriori & per effecta solum, vel per principia complexa methaphysica, quæ ut diximus, sunt principia cognitionis, & non rei; atqui nec effectus nec principia complexa sunt causæ reales subiecti circa quod sunt demonstrationes; ergo non est necesse quod omnis demonstratio procedat per causas reales.

65 Ad secundum argumentum concedo maiorem, & nego minorem, ad probationem minoris distinguo, vno illius intentionalis intuitiva, & quæ attingit Deum, ut in se est immediate concedo, vno intentionalis abstractiva, & mediata nego; ad probationem consequentiarum, & minoris, nego causalitatem illam; quia non ideo est vno hypostatica supernaturalis, quia vnitur quomodocumque Deum, sed quia vnitur intrinsece ut in se est sine aliquo medio ipsum; cognitio autem abstractiva cum vniat Deum non immediate sed medijs creaturis, & tota ratio cognitionis sumatur à medio, seu ratione formali illius, inde est quod talis cognitio naturalis sit, ubi licet Deus sit ens supernaturale, quia medium attingendi ipsum est naturale; unde facile respondetur ad primam probationem de gratia iustificante, de qua verum est dicere non posse cognosci naturaliter quia in se supernaturalis est, nullamque connexionem habet cum effectu naturali. Deus autem cum licet sit sub vna ratione ens supernaturalis, quatenus nimirum causat effectus supernaturales, vel quatenus potest supernaturaliter terminare media vniione hypostatica naturam creatam, & sub his rationibus non possit naturaliter cognosci, attamen cum ipse Deus sit author naturalis, quatenus causat entitates naturales sub hac ratione medijs ipsis creaturis, quæ connectuntur cum suo creatore potest intellectus manu duci ad cognitionem illius, quia sub hac ratione non ens supernaturalis, sed naturale est, siquidem naturaliter se communicat media effectione, & participatione naturali, unde recte potest à scientia naturali naturaliter cognosci, quia medium, ut supra diximus deveniendi ad cognitionem Dei naturale est, quod minime habet gratia sanctificans, cum omnis causa, & effectus illius quæ possunt esse medium cognoscendi ipsam sint supernaturales entitates.

66 Ad tertium respondetur, quod illa calculatio non solum probat non posse methaphysicam cognoscere Deum, sed à fortiori probat Deum non videri de facto à Beatis, quod est hæreticum, quia ad videndum obiectum perfectum ut vnum requiritur visio ut vnum, & ad duo, ut duo; ergo ad infinitum obiectum visio infinita, sed nulla visio beatorum infinita est; ergo nullus beatorum videt Deum; quare dicendum est argumentum tantum probare, ut nihil probet; unde dicimus, quod sicut potest dari lumen, & visio Dei infiniti, non tamen infinite visi, ita posse dari cognitionem naturalem abstractivam evidenter.

R. P. Aldeph. de Peñañiel. Theol. Schol. Tom. I.

dentem terminatam ad Deum infinitum, non tamen infinite cognoscendum, & ideo non esse necessarium, quod talis cognitio sit infinita sed tantum quod sit alterius & perfectioris rationis, quia licet Deus infinitus sit, ratio tamen formalis cognoscendi illum est finita, quare ex deductione ibi facta non colligitur infinitudo in visione, nisi tantum secundum quid, & obiectiva, sicut quado argui solet, quod offensa contra personam effectam habeat tantam malitiam v. g. ut vnum, & contra perfectiorem, maiorem v. g. ut duo; ergo contra infinitam habebit infinitam malitiam; ubi illa infinitudo non est formaliter, sed tantum obiective, & secundum quid; ex quo sequitur, quod res quæ talem infinitudinem habet, sit altioris, & perfectioris rationis, quare in forma respondeo distinguendo; perfecti obiecti ut vnum materialis & formalis concedo, materialis tantum nego, ut in casu nostro contingit, quia potest dari cognitio imperfectissima, ut est erronea, & hæretica circa obiectum bonum & infinite perfectum materiale, ut est hæretica Arriana circa Deum, quæ talis est propter solam imperfectissimam rationem formalem; ex quo evidenter sequitur, quod perfectio cognitionis non est delumenda ab obiecto materiali tantum, sed simul cum formali; consequentia etiam sic distinguitur; infinite perfectum tam materialiter, quam formaliter concedo; materialiter tantum nego; unde cum licet obiectum materiale methaphysice sit infinitum, quia est Deus, cum tamen obiectum formale cognitionis methaphysice circa Deum sit finitum, creatura nimirum, & lumen creatum, inde est, quod talis cognitio non sit infinita, sed finita.

Ad Primam secundæ sententiæ distinguo maiorem: esse collectionem omnium subiectorum, quæ per se attinguntur à scientia, concedo; quæ per accidens, nego; unde cum ens rationis quod ponitur in illa collectione, & ens omnino per accidens non sint subiecta per se, inde est, quod illa collectio, licet sit commune subiectum, adæquatum aggregationis, non est tamen subiectum adæquatum per se.

Ad confirmationem respondeo concedendo quod talis actus sit methaphysicus, negando tamen quod subiectum talis actus sit subiectum per se, sed per accidens.

Ad secundum responderetur per se, & directe nego, per accidens concedo; unde hoc modo est verum, quod ad methaphysicam pertineat.

Ad argumentum tertiæ sententiæ, respondeo negando ultimam partem antecedentis, quia falsum est quod accidens sit proprietas substantiæ ut sic, quatenus abstrahit à divina, & humana, ut probatum manet.

QVÆSTIO III.

Utrum Deus sit subiectum attributionis Theologia.

SECTIO I.

Adversaria sententia proponitur.

Prima sententia asserit Deum non esse subiectum attributionis; sic Pater Pereira, Arauxo, & alij, & probatur sic, i. ex Aristotele in Metaph. lib. 7.

B 2

lib. 7.

lib. 7. cap. 1. ubi ait, affirmatque solum substantiam ut sic esse subiectum attributionis, his verbis: Patet igitur quod propter hanc illorum quoque singula sunt, quare quod primo est ens & non aliquid ens, sed simpliciter ens substantia, & 4. *metaph.* 2. postquam docuit ad eandem scientiam multa pertinere ratione alicuius, in quod tanquam in finem illa omnia referantur, sic ait. Vtrique autem scientia in eo proprie versatur, quod primum est, & propter quod dicuntur, sic igitur substantia hoc ipsum est, ergo ex sententia Aristotelis subiectum attributionis non est Deus, sed substantia ut sic. Secundo probatur ratione, si Deus esset subiectum attributionis Theologiae naturalis, sequeretur quod omnia, quae de Deo ratione divinae essentiae cognosci possunt, eaderent sub Theologiam naturalem, consequens est falsum; ergo id ex quo sequitur, consequitio probatur, quia scientia extendit se ad omnia quae cognosci possunt de suo subiecto attributionis, falsitas consequentis sic ostenditur, quia cum Deus per suam essentiam cognoscat non solum infinita, sed etiam omnia absolute possibilia sequeretur sub Theologiam naturalem cadere non solum infinita, sed etiam omnia absolute possibilia, quod inauditum est.

3. Tertio, quia si subiectum attributionis huius scientiae esset Deus, non distingueretur haec Theologia naturalis a supernaturali: sed hoc est falsum, ergo. Maior sic patet, quia scientiae distinguuntur per ultimum, praecipuum, & attributionis subiectum, sed idem Deus esset subiectum attributionis Theologiae naturalis, & supernaturalis; ergo non distinguuntur essentialiter.

SECTIO II.

Nostra Sententia declaratur.

4. AD cuius expositionem advertendum est breviter subiectum attributionis scientiae, quod absolute ab omnibus principalius, & primum subiectum vocatur, & Bonaventura in 1. *quest. 1. radicale*. Nominales primum primitivae attributionis, Albertus Magnus, & alij speciale, & principaliter intentum appellant, & quod sic definitur est subiectum illud inaequatum quod excellentia, ac perfectione in esse scibilis superat cetera inaequata illius scientiae subiecta, sic omnes Doctores sequentes Divum Thomam *super. 11. Metaph. 3. contra Gentes*, & Scotum in 1. propter perfectionem subiecti; attributionis, cognitio ipsius propter se ipsam intenditur, & non ad alterius manifestationem, ac vero cetera omnia quae pertinent ad habitum, licet per se pertineant, habitudinem, tamen habent ad primum subiectum. Prior conditio elicitur ex fine habitus cognoscitivi, qui semper est notitia proprii subiecti, atque adeo id cuius notitia per se primo ac praecipue intenditur, debet esse primum ac praecipuum subiectum. Secunda constat ex eodem principio, nam si habitus versatur circa alia cognoscenda, & haec nullo modo referuntur ad aliquod tertium, hoc non debet censeretur primum, ac praecipuum: aliam conditionem assignavit Aristoteles huius subiecti, *lib. 6. Ethic. cap. 6. & lib. 10. posteriorum, cap. 6. & lib. 7. Metaph. 3. & 94.* id est quod subiectum prima-

rium sit necessarium propter has condiciones in quibus omnes DD. conveniunt; aliam ultimam addidit Scot. *q. 3. prologi. 5. 2.* ubi asserit de ratione primi subiecti esse, ut contineat in se primo virtualiter omnes veritates pertinentes ad eum habitum, ita ut subiectum comparatum ad definitionem contineat primam illam proprietatem formaliter, atque essentialiter, atque ad passionem contineat secundam virtualiter, quia ratio subiecti est causa immediata illius propositionis, sed hoc non debet intelligi adaequate, sed vel eminenter vel radicaliter tantum, quibus positus, sit nostra conclusio: Deus optimus maximus est subiectum attributionis Theologiae naturalis.

Probatur primo Autoritate D. Aug. 4. *de civi. 6. tate Dei*, ubi sic ait, Sapientia naturalis vnum, & primum, aut maximum officium est, ut in vnum tendat Deum, & in *lib. 3. de doctrina christiana* haec profert, finem ultimum primae Philosophiae esse, ut ad Deum perveniat, & idem asseruit D. Ambrosius, Origenes, & alij PP. sed Angelicus D. nostram conclusionem his clarissimis verbis tueretur 3. *contra Gentes, c. 25.* Argumentor secundo, id quanto aliqua intellectualis facilitas, seu habitus est altior, tanto suum intelligibile optimum est altius, & ideo suprema facilitas sapientiae habet pro intelligibili optimo tanquam fine, id quod est optimum principaliter, unde eius facilitas erit intelligendo Deum, & clarius *cod. cap. rat. 6.* expressit hoc his verbis, hoc autem modo se habet prima Philosophia ad alias scientias speculativas, ipsaeque tota ordinatur ad Deicognitionem, sicut ad ultimum finem unde divina scientia nominatur, est igitur cognitio divina finis ultimus omnis humanae cognitionis, & operationis sapientiae, quid clarius. Prima autem, 2. *q. 76. art. 5. in corpore*, ubi explicans obiectum per se sapientiae, sic loquitur, obiectum sapientiae praecellit inter omnium virtutum intellectualium obiecta, considerat enim causam altissimam, quae est Deus, ut dicitur in principio *Metaph.* quae verba nullam patiuntur explicationem, aut tergiversationis effugium, dicendo tantum Doctorem loquentem fuisse de obiecto per accidens, D. enim Thomas, sine dubio agebat de obiecto per se sapientiae, & principale inter omnia obiecta ipsius, quodque obiectum attributionis soler dici, cuius maiorem excellentiam colligit inter omnes scientias ex eo quod in suo ambitu contineat altissimam causam, quae est Deus, excellentia enim alicuius scientiae, non potest recte colligi ex his quae per accidens continentur in obiecto illius, imo nec ex parte hae obiectum *Metaphysica* praecellere potest obiectum Philosophiae, in quo etiam per accidens continetur Deus tanquam primus motor, & altissima causa immobilis totius motus, ergo in sententia D. Thomae, agit metaphysica de Deo tanquam de obiecto per se.

Secundo probatur autoritate Aristotelis, qui 7 clarissime, 1. *Metaph. cap. 2.* his verbis nostram sententiam docet, defendit, ac tueretur: Num existimandum inquit, substantiam aliquam praeter sensibiles, quaeque apud nos sunt esse separatam, atque in ea sapientiam versari, atque haec infinita sit videtur enim esse, & quaeritur, quasi principium substantiae eiusmodi, quo enim pacto ordo fuerit, nisi aliquod extet sempiternum divinum, ac permanens: ecce clarissime Arist. ponit sempiternum principium, quod est Deus, ut de illo

Quaest. III. Vtrum Deus sit subiectum, &c. 21

illo præcipue agit metaphysica, & sic de hoc tanquam de infinita substantia, & veluti de ultimo hinc Theologiae naturalis latissime egit ipse in 12. libro, vt in actu exercito demonstraret omnem tractatum metaphysicæ, ad cognitionem diuinæ naturæ tanquam subiecti attributionis ac principalioris esse referendum, & lib. 1. metaphysica cap. 2. & lib. 6. cap. 1. hoc ipsum confirmat dicendo, dari aliam superiorem scilicet diuinam; de hac metaphysica agit per se, apud Aristoteles, q. 1. propter obiectum per accidens, quod etiam docet. lib. 4. tractatu 7. à quo etiam constat expresse, S. Th. 1. 2. quaest. 76. art. 5. in corpore, vt supra diximus.

8 Tertio probatur ratione: Theologia naturalis, quæ sapientia præstantissima est, est perfectissima naturalis participatio, perfectiori modo naturali, quo potest diuinæ sapientiae, sed Deus est primum obiectum diuinæ sapientiae: ergo & Theologia naturalis, quæ sapientia naturalis est: maior est evidens, quia omnis creatura est participatio Dei, secundum illum gradum in quo est talis creatura, & perfectissima creatura in aliquo genere est participatio perfectissima Dei in illo genere, sed sapientia naturalis est perfectissima creatura in esse habitus intellectivi naturalis, & inesse sapientiae, imo omnium habituum naturalium, ac intellectualium perfectior, vt in confesso est apud omnes: ergo Minor præcipua evidens est, consequentia sic patet, quia ideo fides diuina in hoc conspirat omnium Theologorum consensu habet pro subiecto principali seu attributionis Deum, quia lumen fidei est quædam supernaturalis, & diuina participatio diuini luminis, quod pro obiecto principali habet Deum, sed Theologia naturalis est perfectissima, & suprema naturalis participatio sapientiae Dei quæ habet pro obiecto principali Deum: ergo & Theologia, &c.

9 Confirmatur primo, quia vt ex D. Thom. loco, supra allegato constat, optimum intellectivum habet pro intelligibili præcipuo optimum intelligibile, sed Theologia naturalis est optimum intellectivum naturale: ergo habet pro intelligibili præcipuo optimum naturaliter intelligibile, sed huiusmodi intelligibile optimum est solus Deus: ergo Deus solus est subiectum attributionis, &c. illa minor evidentissima est, quia inter omnes tam Philosophos quam Theologos, constat Theologiam naturalem esse perfectiorem essentialiter omni scientia, & habitu naturali intellectivo.

10 Dices argumento illo probari quancunque scientiam naturalem habere pro subiecto principali Deum, cum vnaquæque sit participatio diuinæ scientiae.

11 Sed contra, quia nos non dicimus ideo Theologiam naturalem habere pro subiecto principali Deum, quia est participatio quomodocunque scientiae Dei, sed quia est suprema, & perfectissima participatio diuinæ sapientiae, quod non habent ceteræ scientiæ naturales, primo quia non sunt perfectissime scientiæ, secundo quia non sunt participationes diuinæ sapientiae, sed soli sunt participationes scientiae Dei, quia quod non est sapientia non potest participare diuinæ sapientiae, sicut creatura, quæ non est intellectualis, non participat diuinam intellectualitatem, & ideo scientiæ naturales, quæ non sunt sapientiae, sed scientiæ non participabunt diuinæ sapientiam, sed

scientiam, scientia enim adhuc diuina, & in Deo, quatenus distinguitur à diuinæ sapientia, cū non petat terminari ad Deum, vt diuinæ scientia est, inde est quod ceteræ scientiæ, cum non sint participationes sapientiae diuinæ, sed scientiæ non petunt pro subiecto principali Deum, sicut nec scientia diuina habet Deum pro subiecto principali: rat vero Theologia naturalis, cū sit, & sapientia, & præstantissima & perfectissima in quantum sapientia est absolute, & simpliciter debet participare rationem essentialem sapientiae simpliciter diuinæ, quæ in hoc sita est, vt sit cognitio diuinorum, sicut asserit D. Thomas quaest. 1. art. 6. in corpore, quod ex D. Aug. lib. 11. de Trinit. asserit, vel vt idem Angelicus Doctor ibidem docet: sapientia absolute est cognitio simpliciter altissimæ causæ totius vniuersi, quæ Deus est, vnde si non participaret Theologia naturalis hanc rationem terminandi se ad Deum principaliter, non participaret ratione sapientiae simpliciter, ideoque non appellaretur sapientia; in quantum verò Theologia naturalis præstantissima, & perfectissima omniumque naturalium nobilissima est, debet participare præstantissimam, & perfectissimum constitutum diuinæ sapientiae, sed non est aliud præstantissimum in illa sapientia nisi hoc quod esse cognitionem diuinitatis, & habere pro obiecto principali illud supremum, & infinitum esse diuinum, quod adeo verum est, vt si in diuina natura nostro modo intelligendi separemus in diuinam cognitionem pro vt terminatur ad creaturas à seipsa pro vt terminatur ad Deum, non solum perfectior nostro modo cognoscendi erit ipsa quatenus terminatur ad Deum seipsa terminata ad creaturas, verum etiam pro vt primo modo concepta vocabitur sapientia, pro vt secunda scientia nominabitur, vnde ceteræ scientiæ, cū non habeant nec rationem perfectissimam, nec rationem sapientiae, inde est quod non participant terminationem perfectissimam, ad perfectissimum obiectum, Deum nimirum quæ est de ratione intrinseca sapientiae perfectissimæ, quod aliter contingit in metaphysica propter ratione dictam: Item quia eo modo participant creature rationem à Deo, quo natura ipsarum exigit, & ideo homo, & Angelus participant gradum intellectivum perfectissimum, quem non participant Leo, Equus, & cetera animalia propter suam imperfectionem, sed Theologia naturalis quia præstantissima est, exigit participare præstantissimam habitudinem, ad perfectissimum obiectum Deum nimirum, & hoc tanquam ad subiectum attributionis, sed Philosophia, & ceteræ scientiæ non exigunt talem habitudinem ad Deum, ergo non possunt participare illam. Minor sic demonstratur, quia habitudo ad obiectum attributionis est ad illud, quod includitur in obiecto adæquato per se: sed Deus minime includitur in obiecto adæquato per se illarum scientiarum quia obiectum adæquatum Philosophiæ, est corpus, obiectum adæquatum Dialecticæ, actus intellectus defectibiles, ideoque dirigibiles obiectum adæquatum mathematicæ, quantitas, in quibus nullo modo potest includi Deus.

Vergetur ac confirmatur secundo, quia Deus est per se scibilis naturaliter à posteriori & per effectus: hoc indicant illa verba D. Pauli: *inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellectu conspiciuntur*, virtus, & diuinitas, & licet cognitio Dei incipiat à creaturis, nihilominus progressu cognitionis

tionis, non solum cognoscitur, vt principium extrinsecum, sed etiam prout est independens, infinitus, aeternus, immensus, omni sciens, omnipotens, &c. ergo danda est scientia, quæ de ipso per se agat naturaliter, sed nulla est inter omnes scientias naturales cui conveniat agere de Deo, nisi Theologia naturalis; quia nulla vniversalior, nulla perfectior, nulla eminentior metaphysica seu Theologia naturali, potest inveniri: ergo. Probatur antecedens, quia de Deo per evidentem demonstrationem naturalē attributa demonstrari possunt, quorum vna sint aliorum rationes, ergo Deus est scibilis naturaliter prout in se, & illa demonstratio ab aliqua scientia naturali provenit. Antecedens patet, quia de Deo naturaliter demonstratur immortalitas, ex immaterialitate; esse agens liberum, quia intelligens; immutabilis quia infinitus, & aeternus, his demonstrationibus naturalibus; omnis substantia immaterialis est immortalis, Deus est immaterialis substantia, ergo est immortalis; omne operans, per intellectum, & voluntatē est agens liberum, sed humilissimi est Deus, ergo &c. Itē sunt demonstrationes naturales, & sunt de Deo prout in se est, ergo scientia metaphysica quæ naturalis Theologia est, agit de Deo, cognoscitque eum demonstrative, & evidenter, quia sine dubio prædictæ demonstrationes sunt Metaphysicæ vt patet ex *duodecimo lib. Aristotel.* & percurrentes cæteras adinventas scientias, quarum nulla clariorem cognitionem de Deo offert quam metaphysica, vt pote naturalis sapientia, ad cuius eminentiam & perfectionem spectat agere per se de hoc perfectissimo ente, ergo.

13 Quarto probatur, quia vltima formalis felicitas, seu beatitudo naturalis debet haberi pro subiecto attributionis beatitudinem vltimam obiectivam naturalem, quæ nulla alia est præter Deum, sed Theologia naturalis, vt postea demonstrabitur, est beatitudo, & felicitas naturalis formalis vltima: ergo debet habere pro subiecto principali Deum; vltima pars maioris patet, quia illa est beatitudo naturalis vltimo obiectiva, quæ est finis simpliciter naturalis vltimus creaturarum, sed fide sanctum est, quod solus deus sit finis simpliciter vltimus naturalis: ergo. Prima pars minoris probatur, quia ideo visio beatifica habet pro obiecto principali beatitudinem vltimam supernaturalem, quæ est Deus, quia visio beatifica est beatitudo formalis supernaturalis vltima, & idem est de amore beatifico in probabiliori sententia, & ratio à priori evidens est, quia beatitudo formalis est acquisitio, seu ratio formalis possidendi beatitudinem obiectivam, & sicut quia intellectio formalis est acquisitio seu ratio formalis respectu intelligibilis, ideo habet pro obiecto intelligibile, & pro obiecto principali principalius intelligibile: ergo beatitudo formalis, quæ est ratio formalis acquirendi, &c.

14 Quinto probatur ex notabili, quia id est subiectum attributionis alicuius scientiæ quod est supremum, & perfectissimū scibile, & sua perfectione superat cætera subiecta scientiæ in esse scibilis, ab eoque talis scientia denominatur: sed Deus est huiusmodi inter subiecta per se metaphysicæ: ergo est subiectum attributionis illius; minor & consequentia evidentes sunt, maior sic demonstratur, logica habet pro subiecto attributionis demonstrationem, quæ licet imperfectior

sit definitione in esse entis, nihilominus in esse scibilis, & in ordine ad finem ipsius logicæ perfectior est, siquidem vltimam perfectionē logicā acquirit mediante ipsa demonstratione, id est conclusionem discursivam, quia logica discursiva est, & ab ipsa denominatur, ideoque vocatur ab Aristotele demonstrativa scientia patet ex 1. & 2. *Posteriorum*, & Philosophia etiam habet pro subiecto principali inter sua subiecta hominem quia perfectior est quocumque subiecto inadæquato Philosophiæ, vt evidenter patet discurrenti, ab eoque Philosophia scientia humana vocatur, vt videre est in Platone *lib. de Republica*, in Thæto & alijs, item patet ex Arist. ita nominante Philosophiam, tam in Physicis, quam in metaphysica.

Præterea Theologia scholastica, Theologia supernaturalis beatorum, ac denique ipsa scientia increata Dei habent pro obiecto principali Deum, ab eoque denominatur, sub nomine *Theos*, Theologiæ: tum sic Philosophia, & Theologia Scholastica non habent hoc peculiare habere videlicet pro subiecto attributionis principalis inter omnia inadæquata subiecta, ex eo quod tales scientiæ sint: siquidem cæteræ scientiæ non habent illam taleitatem, & nihilominus conveniunt in hac ratione: ratio enim conveniendi non oritur à differentia alicuius, sicut sensibilitas non oritur à rationalitate, cū detur sensibilitas in equo ubi non est rationalitas: ergo oritur illa ratio habēdi pro obiecto attributionis principalis, inter omnia à ratione conveniendi in illis; sed omnes illæ scientiæ conveniunt non in aliqua differentia particulari, nec in aliqua particulari ratione communi, sed in vniversalī ratione scientiæ, vt sic, cum vna sit creata alia increata, vna supernaturalis alia naturalis, inter quæ non potest dari nisi remotissima illa convenientia in ratione scientiæ vt sic, ratione cuius habent pro subiecto attributionis principalis scibile, itaque ex eo quod veræ scientiæ sint, hoc exercent munus, sed metaphysica est scientia perfectissima, ergo habebit pro obiecto principali similiter quod est præstantissimum inter omnia subiecta inadæquata, Deum nimirum, quia quicquid oritur ab aliqua ratione convenientiæ participatur ab omnibus in tali ratione convenientibus, & ideo homo, Angelus, lapis, &c. participant substantiam, quia oritur illa à ratione substantiæ completæ vt sic, quam participant homo, Angelus, &c.

Dices primo metaphysicam non denominari à Deo, vnde licet ex prima parte perfectionis petat habere pro subiecto attributionis Deum; ex hac secunda parte non habet tale subiectum.

Secundo, quia subiectum attributionis debet esse inadæquatum subiectum per se talis scientiæ; quia cum ex eo denominetur attributionis, quia cætera inadæquata subiecta ordinantur ad illud, & dicunt attributionem ad ipsum, inde evenit, vt necessario inadæquatum debeat esse: sed Deus est subiectum adæquatum metaphysicæ: ergo non est subiectum illius attributionis.

Sed contra primam solutionem ita argumentor: 18 quia metaphysica denominatur à Deo, quia vocatur Theologia naturalis, quam denominationem sumpsit hæc scientia à Deo sub nomine ipsius Græco *Theos*, quod idem sonat, ac latine *Deus*, vocatur etiam prima Philosophia quia agit de prima rerum omnium causā quæ est Deus, vt explicat

Quaest. III. Vtrum Deus sit subiectum, &c. 23

explicat D. Th. in metaphysica in expositione, 6. lib. Item vocatur sapientia, quia est cognitio altissima Dei per altissimas causas, vt ex D. Th. 2. 1. approbatur manet.

19 Contra secundam solutionem sic arguo; nam falsum est dicere Deum esse subiectum adequatum Theologiae naturalis, quod sic evidenter demonstratur, quia illud est subiectum adequatum materiale respectu alicuius scientiae primi habitus, quod est adequatum subiectum rationis formalis talis habitus, ita vt adequate informetur a ratione formali illius, sed Deus non est subiectum adequatum, nec informatur adequate, a ratione formali Theologiae naturalis: ergo. Maior est evidens, ideo enim Deus solus non est adequatum subiectum fidei divinae, quia Deus solus non adequate informatur divina revelatione quae est ratio formalis fidei divinae; siquidem multa creaturae sunt reuelatae a Deo: ergo. Minor sic probatur, tunc aliqua forma informat materiam adequate, quando praeter illam non informat aliam, ideo enim anima rationalis Petri non informat adequate materiam manus Petri, quia praeter illam etiam informat materiam capitis Petri: sed entitas, vt entitas propria, vera, & per se, quae est ratio formalis terminativa naturalis Theologiae, non solum reperitur, quasi informando Deum, sed etiam propriissime in creaturis reperitur, cum propriissime sint vera entia: ergo Deus non est subiectum adequatum.

20 Ultimo ex notabili, quia id est subiectum attributionis, cuius cognitio per se, & principaliter intenditur a scientia & non propter alterius cognitionem; ad ipsum autem ordinantur omnia, de quibus in tali scientia tractatur, sed huiusmodi subiectum est Deus respectu Theologiae naturalis: ergo Deus est subiectum attributionis ipsius: maior evidens est, concediturque ab omnibus DD. imo ex proprio nomine subiecti praecipui, & attributionis; pater minor in qua est difficultas, sic probatur primo quia ens, & substantia vt sic, quia constitutiva sunt Dei essentialiter, ordinantur per se ad cognoscendum Deum, quia praedicata essentialiter cognitionis rei essentialiter constituta per illam; sunt medium ad cognitionem rei, ad hoc enim vt homo cognoscatur essentialiter debent cognosci omnes partes ipsius definitionis, quia cognitio essentialis alicuius in ipsius definitione consistit; sed definitio ipsius non potest cognosci, sine praedicatis essentialibus, quia nullum aliud esse habet definitio praeter esse partium ipsius, quae sunt praedicata essentialia definiti; vnde praedicata essentialia, & definitio sunt medium necessarium, vt omnes DD. asserunt ad cognoscendum essentialiter constitutum per illa, sed medium, vt medium, & essentialiter, necessario ordinatur ad finem; ergo ratio substantiae vt sic, & entis vt sic, quae sunt medium necessarium, & essentialia ad cognoscendum Deum ordinantur ad ipsum tanquam ad finem & in esse scibilis; siquidem ordinatur ad hoc vt cognoscatur Deus per ipsa, a quibus dependet cognitio ipsius, sicut dependet cognitio finis, ac cognitione mediorum.

21 Secundo, cetera obiecta, vt Angelus, corpus, & accidentia, & modi sunt entia creata, & ordinantur, & dicunt attributionem ad Deum, quatenus scilicet sunt participationes ipsius, & ab eo dependent essentialiter per creationem, ab eoque infinita providentia gubernantur, quare ad

Deum, vt ad ultimum finem per propria, & accommodata media tandem reducuntur, ac dirigitur ea quae Theologus naturalis idcirco specularatur per attributionem ad ipsum Deum, quod etiam quodammodo ipsum Dei nomen Theos innuit, vt enim Clemens Alexandrinus ad finem 1. lib. Stromatum, & Damascenus. 1. lib. fidei orthodoxae, capit. 2. Deus Theos dictus est paratim, hoc est expositione, & ordine, & administratione rerum videlicet omnium, per quam omnia creata in esse effectuum constituuntur, effectus autem ordinatur ad causam: ergo in Theologia naturali omnia entia creata dicunt attributionem ad Deum, vnde Deus subiectum attributionis erit.

Dices haec omnia non ordinari ad Deum in esse scibilis, sed tantum in esse rei.

Contra, quia Deus est ultimus finis, ad quem essentialiter referuntur cetera, quae in metaphysica disputantur; ergo ad illum referuntur in esse scibilis. Probo consequentiam clare: quando intra eandem scientiam clauduntur finis, & medium, quod essentialiter ad finem ordinatur hoc refertur ad illum in esse scibilis: Probo antecedens, ideo partes referuntur in scientia ad totum in esse scibilis, & accidens ad substantiam quia totum est finis partium in scientia, & substantia respectu accidentis, quae ratio a priori huius est, quia res in sui cognitione servat eundem ordinem ad finem, quem in suo esse habet, res enim sic petit cognosci, vt est, alioquin non recte cognoscere: 23 tur, quod sic vigeat, nihil aliud est referri aliquid in esse scibilis nisi referri hoc in quantum cognitum aut in esse cogniti ad illud vt cognoscendum per ipsum, sed omnis effectus vt cognitus ordinatur ad causam vt cognoscendam per ipsum, praecipue si est causa essentialiter ipsius; effectus enim vt cognitus est medium in demonstratione a posteriori causae, & evidenter concluditur esse causa per effectum, imo in metaphysica omnis evidenter demonstratio de essentia, unitate, existentia, & eminentia Dei, vt a posteriori non fit nisi per effectum; ergo omnis creatura quae essentialiter est effectus Dei, & vt sic includitur in Metaphysica, ordinabitur in esse cogniti ad Deum vt cognoscendum per ipsam, ac per consequens in esse scibilis.

Quod autem omnis creatura, vt effectus Dei includatur in metaphysica, patet; quia omnis creatura cognoscitur in hac scientia per illa principia, quicquid producit, ab alio producit, & omnis creatura est participatio Dei, ergo reduplicative cognoscitur, vt effectus.

Confirmatur quia omnis cognitio in metaphysica cuiuscumque subiecti ordinatur ad cognitionem Dei tanquam ad ultimum finem: ergo omne subiectum ipsius Metaphysicae ordinatur ad Deum in esse scibilis: consequentia patet, quia nihil aliud est ordinari vnum ad aliud in esse scibilis, nisi quod vnius cognitio ad alterius cognitionem ordinatur, antecedens sic probatur, quia cognitio Dei in metaphysica est noster ultimus finis formalis, sicut ipse Deus est ultimus finis obiecti, v.g. noster, sed ad ultimum finem consequentem ordinantur omnes naturales operationes nostrae rectae quidem; ergo omnes cognitiones metaphysicae, quae nostrae rectae operationes sunt, ad cognitionem Dei ordinantur.

Dices, hoc argumentum probare Deum esse etiam subiectum attributionis omnium facultatum

tum, quia omnes illarum cognitiones referuntur ad cognitionem Dei tanquam ad finem naturalem.

Sed contra, quia verum est eo argumento effici ceterarum facultatum rationes referri ad assequendam Dei cognitionem, sed hoc remotissime quidem, & nihilominus propterea Aristoteles eas facultates, ac scientias docet ministras esse, & ancillas metaphysicæ, cui famulantur instrucentes intellectum, ut per illas mens nostra gradum faciat ad Deum, imo D. Thomas etiam ait finem actionum ludicarum esse contemplationem Dei; at vero non ideo potest dici Deum esse obiectum attributionis illarum, quia cum Deus secundum se non cognoscatur per illas scientias, respectu illarum minime Deus subiectum attributionis dicitur; Physicus enim tantum attingit Deum, ut primum principium motus, sed non perscrutatur perfectiones eius, quod facit data opera metaphysica, ut de subiecto per se illius, & eius cognitio est finis ceterarum cognitionum in metaphysica; ergo illi conveniunt omnia, quæ dicuntur de subiecto attributionis.

26 Tandem ex ultima parte notabilis, quia Deus est summe necessarius, & nulla potentia defectibilis, continetque omnes veritates subiectorum metaphysicæ tam formaliter, quam eminenter, formaliter quæ sunt simpliciter simplices nullam in se perfectionem admittentes, quæ sunt de ente, & substantia ut sic, & de attributis illius, veritates autem, quæ pertinent ad substantia creata particularia eminenter continet, quia continet radicem illarum veritatum eminenter, quæ est omne subiectum creatum; ergo evidenter sequitur, quod Deus sit subiectum attributionis huius scientiæ.

SECTIO ULTIMA.

Argumenta adversa solvuntur.

27 Ad loca Aristotelis Respondeo, quod illa forma probant, quod si inferiora entis, v. g. substantia ut sic, & accidens comparentur inter se, substantiam esse simpliciter ens respectu accidentis, & per consequens de illa principaliter esse agendum, præter illam vero de accidenti, cum autem inter substantias omnium præstantissima sit Deus, in cuius notitiam tandem substantiæ creatæ cognitio ultimata referatur, inde est quod Deus absolute sit dicendus subiectum attributionis, sed nihilominus potest etiam substantia sortiri aliquo modo respectu accidentis rationem subiecti attributionis, sicut enim finis absolute dicitur illud, ad quod ultimatè ordinantur omnia, & nihilominus unum medium comparatione alterius antecedentis finis secundum quid dicitur, non tamen simpliciter & absolute, quia illud etiam medium ultimatè ordinatur ad finem simpliciter, ita contingit in substantia, & ideo, ut explicat D. Th. in metaphysica sup. lib. 7. Arist. eod. lib. 7. c. 2. substantia materialis in esse scibilis ordinatur ad substantiam spirituales, huius enim gratia (inquit loquens de spirituali) de sensibilibus substantijs definite tentamus, ipsæ autem sensibiles & spirituales substantiæ creatæ revocantur tanquam ad ultimum finem simpliciter, & absolute ad substantiam increatam, quæ est Deus, & sic est absolute, & simpliciter subiectum attributionis totius materiæ.

Ad secundum, si consequens intelligatur de cognoscibilibus quocunque lumine etiam divino, ut argumento intenditur, neganda est consequentia, ad probationem dicimus vnamquamque scientiam solum se extendere ad ea cognoscibilia, quæ in suo subiecto ex lumine naturali, & finito principiorum solum se extendit ad ea, quæ deducuntur ex talibus principiis, unde finita erunt sicut v. g. Theologia scholastica licet habeat pro subiecto Deum, cum procedat ex lumine divinæ revelationis, solum se extendit ad ea, quæ deducuntur ex revelatis, & Theologia Beatorum quia procedit lumine gloriæ solum se extendit ad ea, quæ eodem lumine concipi possunt, quæ eo plura erunt, quo lumen maius, vel minus fuerit.

Ad ultimum respondeo negando maiorem, 29 ad probationem illius dicendum, scientias non distingui specie per substantiam quoad rationem, quæ scitur, & quæ proprie est subiectum attributionis, sed quoad rationem sub qua, & propter quam scitur res, unde quia in Deo, alia atque alia est ratio cognoscibilis, quatenus vel lumine rationis naturalis, vel divinæ revelationis, vel gloriæ, vel denique ipso increato lumine menti divinæ adæquato cognosci potest, sit ut Theologia naturalis, Theologia scholastica, ac Beatorum Theologia, ac tandem divina scientia specie inter se distinguantur; esto earum omnium subiectum attributionis sit Deus.

QUESTIO IV.

An obiectum Theologia naturalis, sit complexum, & an detur ordo prioris, & posterioris inter obiecta illius.

Prima conclusio, certum est obiectum quod attingitur scientiæ ab hac scientia esse complexum, id est veritas complexa, quæ vel immediate se attingitur, ut sunt principia metaphysica, v. g. quicquid producit, ab alio producit, &c. vel veritates, quæ mediatis principijs cognoscuntur, ut sunt conclusiones, quæ ut propositiones, & actus iudicii habent complexiorem in se, in qua obiectum distinguitur à subiecto, quia subiectum simplex est, & incomplexum, cum sit subiectum propositionis, & prædicationis in qua aliquid de illo prædicatur, & enunciat; obiectum autem est ipsa prædictio, seu enunciatio, & ideo quid complexum debet esse, ut probatum manet, in logica tractat. de posteriori resolutione. Hæc conclusio sic probatur, quia obiectum cuius habitus intellectualis est simplex vel complexum ex modo tendendi intellectus medio illo habitu in tale obiectum, vel complexum componendo, & dividendo vel simpliciter sine ulla compositione, ut Deus vel Angelus tendunt in obiectum, sed modus tendendi intellectus nostri mediante metaphysica, imo media quacunque scientia est complexus, tum quia vnaquæque scientia discursiva est, & per discursus cognoscitur, tum quia hoc est ingenitum, & connaturale intellectui humano, dum est in corpore, ergo obiectum Theologiæ naturalis est complexum: maior sic probatur, quia obiectum fidei divinæ est complexum, ut asserunt omnes scholastici in 3. distict. 23. & 24. tum etiam cum D. Th. 2. 2. q. 1. art. 2. & non propter aliam rationem, sed solum quia